

Plantæ, Animalia & Metalla; cum ab his potissimum medicamenta sumantur. Si velis, adde cum Fallopio elementa, ignem & aquam, quibus cum raro utamur, raro enim igne vrimus, aut aqua refrigeramus, idcirco Galenus caput hoc omisit. A platis, vel totis, vbi totæ in usum veniunt: vel partibus earum, vti sunt radices, stipites, surculi, rami, gémæ, folia, flores, fructus, semina, cortices, ligna, succi, liquores, lacrymæ, gummata, resinæ & cineres. Ab animalibus, eorumq; vel partibus, vel excrementis: Partibus, iisque vel omnibus, vt hirundo, lumbricus: vel aliquibus, vt caro viperina, cerebrum leporis, pulmo vulpis, ventriculi gallinæ, tunicae, testiculi gallorum, sanguis, adeps, pinguedo, medulla, coagulum, os de corde cerui &c. Ab excrementis, iisque vel veris, vel veluti excrementis: Veris, vt est fel, vrina, saliuia, lana succida, sterlus luporum, canum, vnguis alcis, caprarum, asinorum, senecta serpentis &c. Velut excrementis, oua, lac, mel, cera.

A terreis corporibus: & vel metallicis, vt vena metalli, plumbi, argenti &c. Liquores metallorū, ex purgatis metallis facti, vt æs purum, plumbum depuratum: Metallorum excrements seu rubigines, vt cærussa, quæ ærugo plumbi, ferri ærugo, æris flos: vel metallorum cineres, vt hydrargyrū, squama æris vsti: vel terreis, vt bolus, rubrica, terra Lemnia, terræ sigillatæ: vel lapidibus, iisq; vel pretiosis, vt quinque fragmenta pretiosa, hyacinthus, sapphyrus, granatus, smaragdus, sardus: vel minus pretiosis, vt pumex, hæmatides: vel denique maritimis & aquis, vt sunt sales, spuma salis, succi-

A 5 num